

*Domine, memento mei  
cum veneris in regnum tuum.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam      **23, 35b-43**

**I**n illo témpore:

<sup>35b</sup> Deridébant Iesum príncipes dicéntes:  
«Alios salvos fecit;  
se salvum fáciat,  
si hic est Christus Dei eléctus!».

<sup>36</sup> Illudébant autem ei et mílites accedéntes,  
acétum offeréntes illi  
<sup>37</sup> et dicéntes:

«Si tu es rex Iudæórum, salvum te fac!».

<sup>38</sup> Erat autem et superscríptio super illum:  
«Hic est rex Iudæórum».

<sup>39</sup> Unus autem de his, qui pendébant, latrónibus  
blasphemábat eum dicens:  
«Nonne tu es Christus?  
Salvum fac temetípsum et nos!».

<sup>40</sup> Respóndens autem alter increpábat illum dicens:  
«Neque tu times Deum,  
quod in eádem damnatióne es?»

<sup>41</sup> Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus!  
Hic vero nihil mali gessit».

<sup>42</sup> Et dicébat:  
«Iesu, meménto mei  
cum véneris in regnum tuum».

<sup>43</sup> Et dixit illi:  
«Amen dico tibi:  
Hódie tecum eris in paradíso».

Verbum Dómini.